



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

SANCTI|| IOANNIS|| DAMASCENI OPERA,||

Johannes <Damascenus>

Parisiis, 1577

De nominis splendore: & quòd digna sint rectè facta. cap. xxxii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71880](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71880)

De communibus negotiis: & quod communia diuersoria vitanda sint: quia hinc rixæ ac dissidia nascantur. CAP. XXXI.

Gen. 13.



DIXIT Abraham ad Lot: Ne sit, quæso, iurgium inter me & te, & inter pastores meos, & pastores tuos: fratres enim sumus. Ecce vniuersa terra coram te est. Recede à me, obsecro. Si ad sinistram ieris: ego dexteram tenebo: si tu dexteram elegeris, ego ad sinistram pergam. Eleuatis itaque Lot oculis, vidit omnem circa regionem Iordanis, quæ vniuersa irrigabatur, antequàm subuerteret Dominus Sodomam & Gomorrhæ, sicut paradysus Domini, & sicut Ægyptus venientibus in Segor. Elegitque sibi Lot regionem circa Iordanem, & recessit ab Oriente, diuisique sunt alterutrum à fratre suo.

Pro. 27.

Eccli. 13.

Melius est sedere in angulo sub dio, quàm in domo communi.
Fortiori ac ditiori te ne focius fueris.
Habent communium negotiorum curæ reprehensionis anfas.

De nominis splendore: & quod gloria digna sint rectè facta. CAP. XXXII.

Eccli. 29.

2. Tim. 2.



N PARVA & magna re cura vt bene audias.
Solicite cura te ipsum probabilem exhibere Deo, mercenarium inconfufibilem.

De mercatoribus.

CAP. XXXIII.

Eccli. 11.



IX eripietur mercator à delicto.

De eunuchis.

CAP. XXXIIII.

Sap. 3.



BEATVS est spado, qui non operatus est per manus suas iniquitate, nec cogitauit aduersus Deum nequissima. Dabitur enim illi fidei donum electum, & fors in templo Dei acceptissima.

Eccli. 20.

Mat. 19.

Concupiscentia spadonis deuirginabit virginem.
Sunt eunuchi, qui de ventre matris suæ tales facti sunt: & sunt eunuchi, qui castrati sunt ab hominibus: & sunt eunuchi, qui seipfos castrauerunt propter regnum cælorum.

Easi. epist.

ad Sim-

plic. hæ-

rer.

Eunuchorum genus infame atque exitiosum est, hoc inquam nec muliebri, nec virile, mulierum insano amore ardens, zelotypia percitum, illiberale, qui diuis accipiens, inexplabile, ad cœnam plorans, iracundum, aurum deperiens, fœdè mercenarium, seuum, effœminatum, ventri deditum: quid denique dicam? ab ipso ortu ferro condemnatum. Quoniam autem modo horum iudicium integrum esse queat, quorum pedes quoque distorti sunt? Hi nimirum & ferri opera frustra casti sunt: & propter obscenitatem suam fructus expertes manent.

Nilus.

Ab vxore tuâ spadonum strepitum remoue. Quamuis enim spado infra geminos testes exactos habere videatur: at supra tamen geminos in facie oculos habet libidinosè obtinentes, ac mala testimonia secum trahentes.

De laudationibus, & iis qui ex ipsis voluptatem capiunt: & quod ante periculum factum neminem laudare oporteat.

CAP. XXXV.

Quo-